



The Holy See

PIUS PP. X

EPISTOLA

QUA PONTIFEX MITTIT LEGATUM APOSTOLICUM
AD QUINQUAGESIMA SOLEMNIA IN HONOREM B.M.V. DE LOURDES*

DILECTO FILIO NOSTRO
VICTORI LUCIANO S. R. E. PRESB. CARD. LECOT
ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI - BURDIGALAM

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solemnia sacra, quae in mensem Februarium proximum apparantur ad oppidum *Lourdes*, anno exeunte quinquagesimo, ex quo Immaculata Dei Mater mire se illic conspiciendam dedit, etsi audimus magnis piorum studiis celebratum iri, eorum tamen celebritatem Nostra quoque augendam auctoritate ducimus. Etenim, quoniam hoc toto tempore maxima et innumerabilia in salutem populi christiani beneficia e Lourdensi specu manarunt, ut ibi Beatissima Virgo tanquam fontem benignitatis misericordiaeque suae statuisset videatur, sane decet ad ea ipsa recolenda pietati communi Nostram antecedere, Nosque apud augustam Ecclesiae Parentem quasi interpretes gratiae publicae existere. Itaque cupimus, ut in eis agendis solemnibus personam Nostram ipse geras; atque his te litteris Legatum Nostrum renuntiamus, hoc addito, ut post Pontificale Sacrum, nomine Nostro, benedicas populo: cui benedictioni quotquot intererunt, modo criminum confessione abluti Sancta de altari libaverint, iis damus, ut plenariam de admissis suis veniam impetrent. Tibi autem, dilecte Fili Noster, auspicem divinorum munerum ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIV Decembris anno MDCCCXVIII, Pontificatus Nostri quinto.

*ASS, vol. XLI (1908), pp. 65-66.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana